Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31304
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

L. III
C. XVII

dis et penitentie luctus. qui ad exemplum penitentium tamdiu suaui lacrimas
huius peccatrix ad pedes meos flentis et penitentis. Sub eadem uero tem-
pestate dum adhuc malorum suorum penitudine isdem frater seipsum cot-
tidie macararet. uidit in uisu noctis sese in lacu profundissimo fluctu-
antem ac periclitantem. Cumque iam euadendi nulla spes superesset. en subito af-
fuit adiutor in oportunitatibus dominus Ihesus Christus. nudis pedibus ambulans
super aquas. Qui cum ad eum peruenisset. leuauit in brachio atque in sinu suo mi-
serum misericorditer ac dignanter. Ablatumque de aquis posuit in prato uirenti
et ameno. Quod cum ille uidisset. illico procidens ad pedes eius pre inmensitate
leticie gestire animo cepit. insaciabili desiderio se astringens atque deoscu-
lans pia uestigia saluatoris. Quadam uero uice cum estuanti animo nosse
cuperet utrum indulgentiam a domino consequi mereretur. cepit ardenti instantie gemi-
tibus inenarrabilibus atque suspiriis diuinam pietatem obsecrans et exop-
tans ut ei aliquo modo innueret. Sequenti itaque nocte dum ita affectus frater in
uigiliis interesset. subito uenit in mentis excessum. Et ecce astitit ei
nescio quis nouaculam acutam et quasi insensibiliter per caput ipsius leniter ac
suauiter ducens. qui et in momento in ictu oculi ueluti rasit ei barbam collum
et coronam. Verumtamen paucos pilos in uno tempore deserens. sompnolentie uiti-
um quo frater ille quamuis inuictus adhuc tamen grauiter premebatur. forsitan denotauit.
Huiusmodi et huiusmodi consolationibus isdem frater sepius releuatus. inspirante domino didicit
in spe uenie respirare. et de perceptis beneficiis gratias agens. ad ampliora perci-
pienda iam iamque suspirare.

De eo qui uidit Christum in uisione. ante obitum suum.